



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Joannis Commirii E Societate Jesu Carminum Libri Tres**

**Commire, Jean**

**Lutetiæ Parisiorum, 1678**

Musca In Aenigmate Sub persona Herodiadis saltantis adumbrata. Ode  
XXVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14818**

## MUSCA IN ÆNIGMATE

*Sub persona Herodiadis saltantis adumbrata.*

## ODE XXXIII.

**I**NSECTUM petulans, proterva musca:  
 Harpyiâque, famelicoque milvo,  
 Et rapax magis & magis gulosa;  
 Et pudens minus & minus modesta;  
 Sanguisuga minor, volans hirudo,  
 Fumosæ hospita concolor culinæ,  
 Vermis filia, vermiumque mater:  
 Tune cum pedibus tuis, scelestæ,  
 Imbutis scabie atque purulentis;  
 Illo cum ore tuo simetum olente,  
 Regales petis inquinasque mensas?  
 Nec repulsa fugis, sed usque & usque  
 Ad prædam revolas: licet minetur  
 Myrteo puer increpans flagello.  
 Nec caudam volucris times superbæ,  
 Nec stili exitium ferentis ictus?  
 Nempe dulce videtur ac decorum  
 Aureis saturam immori catinis,  
 Et confundere sanguinem Lyæo.  
 Verum te ratio fugit: neque illâ,  
 Quod cupis misere, frui licebit  
 Tam dulci nece, tamque delicatâ.  
 Pendebis laqueo implicata tristi.  
 Quem noctesque diesque nens Arachne  
 Festinat tibi supplici satelles.  
 O! ut te pede proteret superbo!  
 Ut te prosubiget modo huc modo illuc

Versans ; ut calidum obbibet çruorem !  
 Unco deinde trahens cadaver ungui  
 Auræ ludibrium dabit : vel ipsum  
 Formicis , tineisque , vermibusque ,  
 Belli materiam gravis relinquet.  
 At hoc interea cicada carmen  
 Alludens canet. Improba illa musca ,  
 Quæ turbaverat omnibus quietem ,  
 Nec cum vivere desit , quiescit.

## AD ILL. V.

## LUDOVICUM HENRICUM LOMENIUM

## BRIENNÆ COMITEM.

*De Tachylla equa ab eo venuſiſſimis versibus celebrata.*

## ODE XXXIX.

**A**D E S T E alipedes equæ quot estis ,  
 Seu vos Thracia Theſſalaque valles ,  
 Seu vos Ausonia Appulique campi ,  
 Seu tulit Libye , Tagusve ripis  
 Vedit aurifer anteire cursu  
 Parentis Zephyri leves volatus :  
 Mei cedite Lomeni Tachyllæ ,  
 Heri deliciis sui Tachyllæ .  
 Cui nec cedere , qui polo gemellum  
 Tulit Castora , Cyllarus recuset ;  
 Nec cognomine qui sepultus urbe  
 Victor sub domini jacet trophæis ;  
 Nec qui marmorea superbis aula  
 Et præsepibus aureis , tumensque  
 In ostro trabeaque , consulares

Aa ii